Diabolum, omnium malorum Architectum, transfugiunt! Sed ne Vobis, Au-
ditores, prolixiori membri primi tractatione molestiam aliquam aut tædium
pariam, quum satis jam abunde pro ingenii ac judicii mei modulo de glorioso
Regni CHRISTI Constitutione dixerim, de ejusdem Administratione nunc
dicam. Incumbit Regi ac Principi in regni mundani administra-
tione hoc potissimum: ut, juxta Politicorum doctrinam, suos nunc guber-
net subditos, nunc hostes reprimat, finibusq; regni arceat. Fit id utrumq;
in Regno Christi: Gubernat is utiq; subditos per jus illud regium, quod
Politici Legem Regiam vocant. Estq; id ipsum Lex, et Evangelium. Lex
veteris est foederis, Evangelium foederis novi. Utrobiq; tamen illa obti-
net, suumq; usum in Novo quoq; Testamento habet. Cogitate igitur, Audi-
tores, Sanctitatem Legis. Est me Christe lex hac longè sanctior Draconis,
antiquissimi Atheniensium Legislatoris, legib:: est longè sanctior Solonis, Phi-
losophi Salaminii, legib:: et longè sanctior Lycurgi, Regis et Legislatoris
Lacedæmoniorum prudentissimi, Legib:. Unde et Legislatio hac in monte Sina
non absq; summa solennitate facta et peracta interprete Moyse legitur. Cogi-
tate verò et ipsimet Auditores, simul Evangelii suavitatem. Est Evange-
lium fons limpidissimus, et aquæ vivificæ mare. Mare est, cujus tor-
rentes tunc verè intumuerunt, cum ipse Salvator quarto mundi millenario
misellis mortalib: plenum gratiæ, plenum charitatis annunciaret an-
num, quum salutaris doctrinæ jubare hominum corda irradiaret: quum
eorundem pectora Nectareo pietatis rore imbueret: quum hominum corda
ad DEUM converteret: quum justitiam nobis acquireret, quæ coram DEO valet.
Sunt multa quidem regna: in quibus justitia, sed sine gratia locum
hic obtinet. At in glorioso Christi regno justitia, quâ justi coram DEO
Patre reputamur, ac declaramur, sine ullo nostrorum meritorum, quæ
nulla hic sunt, intuitu valet. Plurimum refert, si Rex aut Princeps
aliquis justitiam administret. Nam justitia ~~et~~ Regis ac Populorum est
Pax, hæreditas filiorum est, Patriæ tutamen est, subditorum Levamen est,
aëris temperies est, munimentum gentium est, gaudium hominum est,
solatium est pauperum, et Regi ipsimet spes est futuræ beatitudinis. Lu-
culentissimum justitiæ documentum nobis Zaleucus, Locrensium Rex, perhibet.
Is, cum legem de adulteris, utroq; lumine orbandis, promulgâsset, ejusq;
Filius in illud ipsum scelus incidisset, filium, ut justus et verax haberetur,
uno, seipsum verò altero orbavit oculo. Ô memorabile quidem Justitiæ, sed
Justitiæ admodum rigidæ, exemplum! Non ita se habet in Regno Christi
Justitia. Nam non legalis ibi, sed Evangelica administratur et exerce-
tur justitia. Sceptrum Optimi Regis nostri est molle sceptrum. Mitis
ipse est, et mansuetus, et placidus, non rigorosè nobiscum aut superciliosè